Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 167
Quelle:
Copyright:

facit in *Hist. Typogr. supracit.* In *Ciceronis* tamen *Officia* eum quidpiam edidisse non reperi.

LXX. VIII E. 30.

379 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 205. f. probe exaratus, forma pene quadrata complectitur *Commentaria in Pentateuchum*, quorum ea, quae in *Genesin* sunt, ad *Remigium* Monachum S. B. *Antissiodorensem* pertinent, qui vivendo et docendo Seculum X. adtigit, et de quo videndus T. VI. *Hist. Literar. Franciae* a p. 99. Primum *Cod.* nostri folium Sec. XIV. restitutum sic habet: *In Nomine Domini Amen. Incipit expositio Remigij super bresith. idest super Genesin.* Eodem charactere et minio additur: *Iste liber iohannis veitmanstaler presbiteri de feustritz est.* Exponitur primo Praefatio *Hieronymi* in *Pentateuchum ad Desiderium* hoc initio: *Desiderius vocabatur episcopus quidam familiaris et amicus beati ieronimi* &c. Dein: *Incipit textus bresith idest genesis.* Sic: *In principio creauit deus caelum et terram; Auctor huius operis sicut sancti doctores tradunt. cognoscitur fuisse moyses* &c. Ultima sunt: *Delectationes in dextera tua usque in finem. Amen. Explicit Commentum Presith.* Commentum istud a *Remigio* elaboratum solus tradit *Anonymus Mellic.* c. 66. Neque id mirum; teste enim *Bern. Montefalconio Diar. Ital.* c. 3. in *Cod. Padolironensi Remigio* fere coaevo, in quo *Commentarius* ejus *in Marcum* continetur, Titulo adjecit Librarius: *In omnibus autem nomen suum tacuit, ut cum sapientia culmen quoque humilitatis attingeret.* Nactus est tamen solertissimus *Pezius* Codices duos *Tegernseensem* et *Garstensem Remigii* nomine insignitos, e quibus Opus nostrum T. IV. *Thes. Anecd.* p. 1. publicaret. His itaque tertium nostrum accense. Praeter antiquiorum PP. Sententias Autorem jam etiam *Walafridi Strabi Glossam* compilasse argumento est Expositio illius: *Terra autem inanis et vacua.* quae enim sequuntur: *Inutilis scilicet et infructuosa et incomposita. omnia enim elementa* &c. iisdem pene verbis in praedicta *Glossa* habentur. Ita et e *Rabani Comment. in Genesin* totum locum ultimum a C. L. v. 23. suum fecit, ut conferenti patebit. Quare, nisi testimonium *Anonymi Mellic.* et *trium Codicum* obstaret, facile quis omnem hanc *Geneseos* expositionem *Walafrido Rabani* discipulo adscriberet, motus maxime sequentibus.

II. *fol.* 52. *Incipit Prologus Subsequentis Operis. Libri Exodi.* Audi Praefamen. *Huius libri quam subiectam cernis explanatiunculam. domnus hrabanus de dictis sanctorum augustini hieronimi isidori gregorii. et domni bedę. et aliorum sanctorum venerandis congregans suis discipulis* (Fuldae) *auctoritate tradidit catholica. Quorum ego ultimus strabus ipsam quanta potui breuitate ne penitus de memoria laberetur. notaui. humiliter lectorem depo-*